

A Ista schedula sic lecta, reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis huiusmodi sessionis præsidiens, nomine ipsius synodi per uerbum placet, respondit. Et extunc reuerendissimus pater dominus Guillelmus tituli sancti Marci presbyter cardinalis, quandam diffinitiuæ sententiæ schedulā legit huiusmodi sub tenore:

¶ Sententia contra Benedictum papam tredecimum in sua obedientia nuncupatum.

De uultu eius hoc iudicium prodeat, qui sedet in throno, & ex eius ore procedit gladius bis acutus, cuius latera iusta est, & aqua sunt pondera, qui uenturus est iudicare uiuos & mortuos, domini nostri I E S U C H R I S T I, Amen. Iustus est dominus, & iustitias dilexit, æquitatem uidit uultus eius. Vultus quem domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Pereat, inquit sanctus propheta, memoria illius, qui non est recordatus facere misericordiam, & qui persecutus est hominem inopem & mendicum: quanto magis percat illius, qui omnes homines & ecclesiam uniuersalem persecutus est, & pertrahit, Petri de Luna, Benedicti tredecimi à nonnullis nuncupati memoria? Qui quatum in ecclesiam dei & uniuersum populum Christianū peccauerit, schisma & diuisionem ecclesie fouens, nutriens atque continuans: quantis, quamq; frequentibus, deuotis & humilibus regum, principum & prælatorum precibus, exhortationibus & requisitionibus charitatiue iuxta doctrinam euangelicam admonitus fuerit, ut pacem daret ecclesie, & illius sanaret uulnera, ac eius partes diuisas in unam compaginem & corpus unum reficeret, quemadmodum ipse iurauerat, & diu fuit in sua potestate, quos tamen charitatiue corripientes nullatenus uoluit exaudire: quos sint postmodum testes adhibitis, quibus etiam minime exauditis, necesse fuit secundum prædictam C H R I S T I euangelicam doctrinam dicere ecclesie, quam quia etiam non audiuit, habendus sit tanquam ethnicus & publicanus: capitula in causa inquisitionis fidei & schismatis coram præsentī sancta synodo generali super præmissis & alijs contra eum edita, ac eorum ueritas & notorietas, declarat manifeste. Super quib; rite ac canonicè processu, & omnibus rite actis & diligenter inspectis, habitaque super illis deliberatione matura, eadem sancta synodus generalis uniuersalem ecclesiam repræsentans, in dicta inquisitionis causa pro tribunali sedens, pronunciat, decernit & declarat per hanc diffinitiuam sententiam in his scriptis, eundem Petrum de Luna Benedictum decimum tertium (ut præmittitur) nuncupatum, fuisse & esse periurum, uniuersalis ecclesie scandalizantem, fauorem & nutritorem inueterati schismatis & inueteratæ scissuræ & diuisionis ecclesie sanctæ dei, pacis & unionis eiusdem ecclesie impedientem & turbantem, schismaticum & hæreticum, ac à fide deuium, & articuli fidei, unam sanctam catholicam ecclesiam, uiolatorem pertinacem, cum scandalo ecclesie dei incorrigibilem, notorium & manifestum, ac omni titulo, gradu, honore & dignitate se reddidisse indignum, à deo eiec-tum & præcisum, & omni iure eadem in papatu & Romano pontifici ac Romanæ ecclesie quomodolibet competente, ipso iure priuatum, & ab ecclesia catholica tanquam membrum aridum præcisum. Ipsūq; Petrum, quatenus de facto papatum secundum se tenet, eadem sancta synodus papatu & summo ecclesie Romanæ pontificio, omnique titulo, gradu, honore, dignitate, beneficijs & officijs quibuscunq; ad omnem cautelam priuat, deponit, & abicit, eidemque inhibet, ne deinceps pro papa aut Romano & summo pontifice se gerat. Omnesque Christicolæ ab eius obedientia & omni debito obedientie ipsius atque iuramentis & obligationibus eidem quomodolibet præstitis, absoluit, & absolutos esse declarat, ac omnibus & singulis C H R I S T I fidelibus inhibet sub pena fauoriæ schismatis & hæresis atque priuationis omnium beneficiorum, dignitatum & honorum ecclesiasticorum & mūdānorum, & alijs pœnis iuris, etiam si episcopalis & patriar-chalis, cardinalatus, regalis sit dignitatis aut

Psal. 16.
Apoca. 21. b
Ibid. 10. c
Leuit. 19. g
Psal. 10.
Ibidem. 116
Psal. 105.

Matt. 18. b
Lu. 11. a

Matt. 18. b

in pe